Obstaricq; animæ misera de sede volenti
Exire, vtq; nouas humeris assumpserat alas 790
Subuolat, atq; iterum corpus super æquora mittit.
Pluma leuat casus, furit Aesacus, inq; profundum
Pronus abit, leticq; viam sine fine retentat.
Fecit amor maciem, longa intermodia crurum.
Longa manet ceruix, caput est a corpore longe. 795
Aequor amat, nomēq; manet, quia mergitur illo.

P. OVI. NASO. METAMORPHOSEON LIB. XII.

NESCIVS assumptis Priamus pater Aesacon alis
Viuere, lugebat, tumulo quoq; nomen habenti
Inferias dederat cū fratribus Hector
Defuit officio Paridis præsentia tristi, (inanes,
Post modo qui rapta longū cum coniuge bellum 5
Attulit in patriam, coniuratæq; sequuntur
Mille rates, gentisq; simul commune Pelasgæ.
Nec dilata foret vindicta, nisi æquora sæui
Inuia fecissent venti, Bœotaq; tellus
Aulide piscosa, puppes tenuisset ituras. 10
Hic patrio de more, Ioui cum sacra parassent,
Vt vetus accensis incanduit ignibus ara,
Serpere Cœruleum Danai videre draconem
In platanū, cœptis quæ stabat proxima sacris.
Nidus erat volucrū bis quattuor arbore summa, 15
Quas simul, & matrē, circum sua damna volantē
Corripuit serpens, auidaq; recondidit aluo.

Obstupuere omnes, at veri prouidus augur
Thestorides vincemus, ait, gaudete Pelasgi.
20 Troia cadet, sed erit nostri mora longa laboris,
Atq; nouem volucres in belli digerit annos.
Ille vt erat virides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis, & seruat serpentis imagine saxum.
Permanet Aoniis Nereus violentus in vndis,
25 Bellaq; non transfert, & sunt qui parcere Troiæ
Neptunum credant, quia mœnia fecerat vrbis.
At non Thestorides, neq; em̃ nescitve, tacetve,
Sanguine virgineo placandam virginis iram
Esse deæ, post, quam pietatem publica causa,
30 Rexq; patrem vicit, castumq; datura cruorem
Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris.
Victa dea est, nubemq; oculis obiecit, & inter
Officium, turbamq; sacri, vocemq; precantum,
Supposita fertur mutasse Mycenida cerua.
35 Ergo vbi qua decuit, lenita est cæde Diana,
Et pariter Phœbes, pariter maris ira recessit,
Accipiunt ventos a tergo millæ carinæ,
Multaq; perpessæ, Phrygia potiuntur arena.
Orbe locus medio est inter terrasq;, fretumq;,
35 Cœlestesq; plagas triplicis confinia mundi,
Vnde quod est vsquã, quamuis regionibus absit,
Inspicitur, penetratq; cauas vox omis ad aures.
Fama tenet, summaq; domum sibi legit in arce.
Innumerosq; aditus, ac mille foramina tectis
40 Addidit, & nullis inclusit limina portis.
Nocte, dieq; patet, tota est ex ære sonanti,
Tota fremit, vocesq; refert, iteratq; quod audit.
Nulla quies intus, nullaq; silentia parte.

Nec tamen est clamor, sed paruæ murmura vocis,
Qualia de pelagi (si quis procul audiat) vndis 50
Esse solent, qualemve sonũ, cum Iuppiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenet, veniunt leue vulgus, euntq;,
Mixtaq; cum veris passim cõmenta vagantur
Millia rumorum, confusaq; verba volutant. 55
E quibus hi vacuas implent sermonibus aures.
Hi narrata ferunt alio, mensuraq; ficti
Crescit, & auditis aliquid nouus adiicit autor.
Illic credulitas, illic temerarius error,
Vanaq; lætitia est, consternatiq; timores. 60
Seditioq; recens, dubioq; autore susurri.
Ipsa quid in cœlo rerum, pelagoq; geratur,
Et tellure videt, totumq; inquirit in orbem.
Fecerat hæc notum, Graias cum milite forti
Aduentare rates, neq; inexpectatus in armis 65
Hostis adest, prohibentq; aditus, littusq; tuentur
Troes, & Hectorea primus fataliter hasta
Protesilae cadis, commissaq; prælia magno
Stant Danais, fortesq; aniæ, nec cognitus Hector,
Nec Phryges, exiguo quid Achaica dextera possit 70
Sanguine, senserunt, & iam signata rubebant
Littora, iam leto proles Neptunia Cygnus
Mille viros dederat, iam currus stabat Achillis,
Totaq; Peliacæ sternebat cuspidis ictu
Agmina, perq; acies, aut Cygnũ, aut Hectora quęrẽs 75
Congreditur Cygno, decimũ dilatus in annum
Hector erat, tum colla iugo canentia, pressos
Exhortatus equos, currum direxit in hostem.
Concutiensq; suis vibrantia tela lacertis.

80 Quiſquis es o iuuenis dixit, ſolamen habeto
Mortis, ab Aemonio quod ſis iugulatus Achille.
Hactenus Aeacides, vocē grauis haſta ſecuta eſt.
Sed quanquam certa nullus fuit error in haſta,
Nil tamen emiſſi profecit acumine ferri.
85 Vtq; hebeti pectus tantummodo contudit ictu,
Nate dea (nam te fama prænouimus) inquit
Ille, quid a nobis vulnus miraris abeſſe?
(Mirabatur enim) non hæc, quam cernis equinis
Fulua iubis, caſſis, nec onus caua parma ſiniſtræ
90 Auxilio mihi ſunt, decor eſt quæſitus ab iſtis.
Mars q̄q; ob hoc, capere arma ſolet, remouebit omne
Tegminis officium, tamen indiſtrictus abibo.
Eſt aliquid non eſſe ſatum Nereide, ſed qui
Nereaq;, & natas, & totum temperat æquor.
95 Dixit, & hæſurum Clypei curuamine telum
Miſit in Aeaciden, quod & æs, & proxima rūpit
Terga nouena Boum, decimo tñ orbe moratū eſt.
Excipit hoc Heros, rurſusq; trementia, forti
Tela manu torſit, rurſus ſine vulnere corpus,
100 Syncerumq; fuit, nec tertia cuſpis apertum,
Et ſe præbentem valuit diſtringere Cygnum.
Haud ſecus exarſit, quam circo Taurus aperto,
Cum ſua terribili petit irritamina cornu
Phœniceas veſtes, eluſaq; vulnera ſentit.
105 Num tamen exciderit ferrum, conſyderat haſtæ.
Hærebat ligno, manus eſt mea debilis ergo.
Quasq; ait ante habuit vires effudit in vno.
Nam certe valuit, vel cum Lyrneſia primum
Mœnia deieci, vel cum Tenedonq;, ſuoq;
110 Aeetionias impleui ſanguine Thebas.

Vel cum purpureus populari cæde Caycus
Fluxit, opusq; meæ bis sensit Telephus hastæ.
Hic quoq; tot cæsis quorum per littus aceruos
Et feci, & video, valuit mea dextra, valetq;.
Dixit, & ante actis veluti male crederet, hastam 115
Misit in aduersum Lycia de plebe Meneten.
Loricamq; simul, subiectaq; pectora rupit.
Quo plangente, grauẽ moribundo pectore terram,
Extrahit illud idem calido de vulnere telum.
Atq; ait, hęc manus est, hac q̃ modo vicimus hastą. 120
Vtar in hoc idem, sit in hoc precor exitus idem.
Sic fatur, Cygnumq; petit, nec fraxinus errat.
Inq; humero sonuit non euitata sinistro.
Inde velut muro, solidaq; a caute, repulsa est.
Qua tamẽ ictus erat, signatũ sanguine Cygnum 125
Viderat, & frustra fuerat gauisus Achilles.
Vulnus erat nullum, sanguis fuit ille Menetæ.
Tum vero præceps, curru fremebundus ab alto
Desilit, & nitido securum cominus hostem
Ense petens, Parmam gladio, galeamq; cauari 130
Cernit, & in duro lædi quoq; corpore ferrum.
Haud tulit vlterius, gladioq; aduersa reducto
Ter, quater ora viri, capulo caua tẽpora pulsat,
Cedentemq; sequens instat, turbatq;, ruitq;,
Attonitoq; negat requiem, pauor occupat illum, 135
Ante oculosq; natant tenebræ, retroq; ferenti
Auersos passus, medio lapis obstitit aruo,
Quẽ super impulsum resupino corpore Cygnum
Vi multa vertit, terræq; affixit Achilles.
Tum Clypeo, genibusq; p̃mens præcordia duris, 140
Vincla trahit galeæ, quæ presso subdita mento

Elidunt fauces, & respiramen, itercq;
Eripiunt animæ, victum spoliare parabat.
Arma relicta videt, corpus deus æquoris albam
145 Contulit in volucrẽ, cuius modo nomẽ habebat.
Hic labor, hæc requiem multorũ pugna dierum
Attulit, & positis pars vtracq; substitit armis.
Dumcq; vigil Phrygios seruat custodia muros,
Et vigil Argolicas seruat custodia fossas,
150 Festa dies aderat, qua Cygni victor Achilles
Pallada mactatæ placabat sanguine vaccæ,
Cuius vt imposuit prosecta calentibus aris.
Et diis acceptus penetrauit in Aethera nidor.
Sacra tulere suam, pars est data cætera mensis.
155 Discubuere toris proceres, & corpora tosta
Carne replent, vinocq; leuant, curascq;, sitimcq;.
Non illos citharæ, non illos carmina vocum,
Longacq; multifori delectat tibia buxi.
Sed noctem sermone trahunt, virtuscq; loquendi
160 Materia est, pugnas referunt, hostiscq;, suascq;.
Incq; vices adita, atcq; exhausta pericula sæpe
Cõmemorare iuuat, quid em̃ loqueretur Achilles?
Aut quid apud magnũ potius loquerẽtur Achillem?
Proxima præcipue domito victoria Cygno
165 In sermone fuit, visum mirabile cunctis,
Quod iuuenis corpus nullo penetrabile telo,
Inuictumcq; a vulnere erat, ferrumcq; terebat.
Hoc ipse Aeacides, hoc mirabantur Achiui.
Cum sic Nestor ait, vestro fuit vnicus æuo
170 Contemptor ferri, nullocq; forabilis ictu
Cygnus, at ipse olim patientem vulnera mille
Corpore non læso Perrhæbum Cænea vidi,

Cænea Perrhæbũ, qui factis inclytus, Othryn
Incoluit, quoq; id mirum magis esset in illo,
Fœmina natus erat, monstri nouitate mouentur. 175
Quisquis adest, narretq; rogant, q̃s inter Achilles
Dic age (nam cunctis eadem est audire voluntas)
O facunde senex æui prudentia nostri,
Quis fuerit Cæneus, cur in contraria versus.
Qua tibi militia, cuius certamine pugnæ 180
Cognitus, a quo sit victus, si victus ab vllo est.
Tum senior, quamuis obstet mihi tarda vetustas,
Multaq; me fugiant primis spectata sub annis,
Plura tamẽ memini, nec quæ magis hæreat, vlla
Pectore res nostro est, inter belliq;, domusq; 185
Acta tot, ac si quem potuit spaciosa senectus
Spectatorem operum multorum reddere, vixi
Annos bis centum, nunc tertia viuitur ætas.
Clara decore fuit proles Elateia Cænis
Thessalidũ virgo pulcherrima, perq; propinquas 190
Perq; tuas vrbes (tibi enim popularis Achille)
Multorum frustra votis optata procorum.
Tentasset Peleus thalamos quoq; forsitan illos,
Sed iam aut contigerant illi connubia matris,
Aut fuerant promissa tuæ, nec Cænis in vllos 195
Denupsit thalamos, secretaq; littora carpens
Aequorei vim passa dei est, ita fama ferebat.
Vtq; nouæ Veneris Neptunus gaudia cepit,
Sint tua vota licet dixit secura repulsæ,
Elige quid voueas, eadem quoq; fama ferebat. 200
Magnum, Cænis ait, facit hæc iniuria votum,
Tale pati iam posse nihil, da fœmina ne sim.
Omnia præstiteris, grauiore nouissima dixit

Verba sono, poteratq; viri vox illa videri,
205 Sicut erat, nam iam voto deus æquoris alti
Annuerat, dederatq; super, ne saucius vllis
Vulneribus fieri, ferrove occumbere posset.
Munere lætus abit, studiisq; virilibus, æuum
Exiit Atracides, Peneiaq; arua pererrat.
210 Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus,
Nubigenasq; feros, positis ex ordine mensis,
Arboribus tecto discumbere iusserat antro.
Aemonij proceres aderant, aderamus & ipsi,
Festaq; confusa resonabat regia turba.
215 Ecce canunt Hymenæon, & ignibus atria fumãt.
Cinctaq; adest virgo, matrũq;, nurũq; caterua,
Præsignis facie, fœlicem diximus illa
Coniuge Pirithoum, quod pene fefellimus omen.
Nam tibi sæuorum sæuissime centaurorum
220 Euryte quam vino pectus, tam virgine visa
Ardet, & ebrietas geminata libidine regnat.
Protinus euersæ turbant conuiuia mensæ,
Raptaturq; comis per vim noua nupta præhensis.
Eurytus Hippodamen, alij, quã quisq; probabat,
225 Aut poterat, rapiunt, captæq; erat vrbis imago.
Fœmineo clamore sonat domus, ocyus omnes
Surgimus, & primus, quæ te vecordia Theseus
Euryte pulsat: ait, qui me viuente lacessas
Pirithoum, violasq; duos ignarus in vno?
230 Neve ea magnanimus frustra memorauerit Heros,
Summouet instantes, raptamq; furentibus aufert.
Ille nihil contra, neq; enim defendere verbis
Talia facta potest, sed vindicis ora proteruis
Insequitur manibus, generosaq; pectora pulsat.

Forte fuit iuxta ſignis extantibus aſper 235
Antiquus Crater, quem vaſtum, vaſtior ipſe
Suſtulit Aegides, aduerſaq; miſit in ora.
Sanguinis ille globos pariter, cerebrũq;, merumq;,
Vulnere, & ore vomens, madida reſupinus arena
Calcitrat, ardeſcunt germani cæde bimembres, 240
Certatimq; omẽs vno ore arma, arma, loquũtur.
Vina dabant animos, & prima pocula pugna
Miſſa volant, fragilesq; cadi, curuiq; lebetes,
Res epulis quondã, nunc bello, & cædibus aptæ,
Primus Ophionides amycus penetralia donis 245
Haud timuit ſpoliare ſuis, & primus ab Aede
Lampadibus denſum rapuit funale coruſcis.
Elatumq; alte, veluti qui candida Tauri
Rumpere ſacrifica molitur colla ſecuri,
Illiſit fronti Lapithæ Celadontis, & oſſa 250
Non cognoſcendo confuſa reliquit in ore.
Exiliere oculi, diſiectisq; oſſibus oris
Acta retro naris, medioq; eſt fixa palato.
Hunc pede conuulſo menſæ Pellæus acernæ
Strauit humi Pelates, deiecto in pectora mento, 255
Cumq; atro mixtos ſpumantẽ ſanguine dentes,
Vulnere tartareas geminato miſit ad vmbras.
Proximus vt ſteterat, ſpectans altaria vultu
Fumida terribili, cur non ait vtimur iſtis?
Cumq; ſuis Gryneus immanem ſuſtulit aram 260
Ignibus, & medium Lapitharum iecit in agmen.
Oppreſſitq; duos Brotean, & Orion, Orio
Mater erat Mycale, quam deduxiſſe canendo
Sæpe reluctantis conſtabat cornua Lunæ.
Non impune feres, teli modo copia detur, 265

Dixerat Exadius, teli quæ habet instar, in alta
Quæ fuerant pinu, votiui cornua Cerui.
Figitur hinc duplici Gryneus lumina ramo,
Eruiturq; oculos, quorum pars cornibus hæret.
270 Pars fluit in barbam, concretaq; sanguine pendet.
Ecce rapit mediis flagrantem Rhœtus ab aris
Primitium torrem, dextraq; a parte Charaxi
Tempora perfregit fuluo protecta capillo.
Correpti rapida, veluti seges arida, flamma
275 Arserunt crines, & vulnere sanguis inustus
Terribilem stridore sonũ dedit, vt dare ferrum
Igne rubens plerumq; solet, quod forcipe curua
Cum faber eduxit, lacubus demittit, at illud
Stridet, & in tepida submersum sibilat vnda.
280 Saucius hirsutis auidum de crinibus ignem
Excutit, inq; humeros limen tellure reuulsum
Tollit onus plaustri, q̃ ne permittat in hostem,
Ipsa facit grauitas, socium quoq; saxea moles
Oppressit spacio stantem propiore Cometen.
285 Gaudia nec retinet Rhœtus, sic cõprecor inquit
Cætera sit fortis castrorum turba tuorum.
Semicremoq; nouat repetitum stipite vulnus,
Terq;, quaterq;, graui iuncturas verticis, ictu
Rupit, & in liquido sederunt ossa cerebro.
290 Victor ad Euagrũ, Coritũq;, Dryantaq; transit.
E quibus vt prima tectus lanugine malas
Procubuit Coritus, puero quæ gloria fuso
Parta tibi est Euagrus ait: nec dicere Rhœtus
Plura sinit, rutilasq; ferox in aperta loquentis.
295 Condidit ora viri, perq; os, in pectora, flammas.
Te quoq; sæue Drya circum caput igne rotato

Insequitur, sed non in te quoq; constitit idem
Exitus, assiduæ successu cædis ouantem,
Qua iuncta est humero ceruix, sude figis obusta.
Ingemuit, duroq; sudem vix osse reuellit 300
Rhœtus, & ipse suo madefactus sanguine fugit.
Fugit & Arnæus, Lycidasq;, & saucius armo
Dexteriore Medon, & cum Pisenore caumas,
Quiq; pedum nuper certamine vicerat omnes
Mermeros, accepto tum vulnere tardius ibat. 305
Et Pholus, & Melaneus, & Abas p̃dator aprorũ,
Quiq; suis frustra bellum dissuaserat augur
Astylos ille etiam metuenti vulnera Nesso,
Ne fuge, ad herculeos (inquit) seruaberis arcus.
At nõ Eurynomos, Lycidasq;, & Areus, & Imbreus 310
Effugere necem, quos omnes dextra Dryantis
Perculit aduersos, aduersum tu quoq;, quamuis
Terga fugæ dederas, vulnus Cænee tulisti.
Nam graue respiciens inter duo lumina ferrum,
Qua naris fronti committitur, accipis, imæ, 315
In tanto fremitu cunctis sine fine iacebat
Sopitus venis & inexperrectus Aphypnas,
Languentiq; manu carchesia mixta tenebat,
Fusus in ossæa villosis pellibus vrsæ.
Quẽ procul vt vidit frustra nulla arma mouentẽ, 320
Inserit amento digitos, miscendaq; dixit
Cum styge vina bibes Phorbas, nec plura locutus,
In iuuenem torsit iaculum, ferrataq; collo
Fraxinus, vt casu iacuit resupinus, adacta est.
Mors caruit sensu, plenoq; e gutture fluxit, 325
Inq; toros, inq; ipsa niger carchesia sanguis.
Vidi ego Petræum conantem euellere terra

Glandiferã quercũ, quam dum cõplexibus ambit,
Et quatit huc, illuc, labefactaq; corpora pulsat,
330 Lancea Pirithoi costis immissa Petræi
Pectora cum duro luctantia robore fixit.
Pirithoi cecidisse Lycum virtute ferebant
Pirithoi virtute Chromin, sed vterq; minorem
Victori titulum q̃ Dictys, Helopsq; dederunt.
335 Fixus Helops iaculo est, q̃d peruia tempora fecit,
Et missum a dextra leuã penetrauit ad aurem.
Dictys ab ancipiti delapsus acumine montis,
Dum fugit instantem trepidans Ixione natum
Decidit in præceps, & pondere corporis Ornum
340 Ingentem fregit, suaq; induit ilia fractæ.
Vltor adest Phareus, saxũq; e monte reuulsum
Mittere conatur, mittentem stipite querno
Occupat Aegides, cubitiq; ingentia fregit.
Ossa, nec vlterius dare corpus inutile leto
345 Aut vacat, aut curat, tergoq; Bianoris alti
Insilit, haud solito quenquã portare nisi ipsum.
Opposuitq; genu costis, prensamq; sinistra
Cæsariem retinens, vultum minitantiaq; ora
Robore nodoso, præduraq; tempora fregit.
350 Robore Nedimnum, iaculatoremq; Lycotan
Sternit, & immissa protectum pectora barba
Hippason, & summis extantem Riphea syluis.
Tereaq; æmoniis qui prensos montibus vrsos
Ferre domum viuos, indignantesq; solebat.
355 Haud tulit vtentem pugnæ successibus vltra
Thesea Demoleon, solidoq; reuellere dumo
Annosam pinum magno molimine tentat.
Quod quia nõ potuit, præfractã misit in hostem.

Sed procul a telo Theseus veniente recessit
Pallados admonitu(credi sic ipse volebat) 360
Non tamẽ arbor iners cecidit,nam Crantoris alti
Abscindit iugulo pectusq; humerũq; sinistrum.
Armiger ille tui fuerat genitoris Achilles,
Quem Dolopũ rector bello superatus Amynthor
Aeacidæ dederat pacis pignusq;,fidemq;. 365
Hunc procul vt fœdo disiectum vulnere Peleus,
Vidit,at inferias iuuenum gratissime Crantor
Accipe ait,validoq; in Demoleonta lacerto
Fraxineam misit mentis quoq; viribus hastam.
Quæ laterum cratem perrupit,& ossibus hærens 370
Intremuit,trahit ille manu sine cuspide lignum.
Id quoq; vix sequitur,cuspis pulmone retenta est.
Ipse dolor vires animo dabat,æger in hostem
Erigitur,pedibusq; virum proculcat equinis.
Excipit ille ictus galea,clypeoq; sonantes. 375
Defensatq; humeros,prætentaq; sustinet arma.
Perq; harmos vno duo pectora perforat ictu.
Ante tamen leto dederat Phlegræon,& Hylen
Eminus Hiphinoum,collato Marte Daninq;.
Additur his Dorylas,qui tempora tecta gerebat 380
Pelle lupi,sæuiq; vicem præstantia teli
Cornua dura boum multo rubefacta cruore.
Huic ego(nam vires animus dabat)aspice dixi
Quantum concedant nostro tua cornua ferro.
Et iaculum torsi,quod cum vitare nequiret, 385
Opposuit dextram passuræ vulnera fronti.
Affixa est cum fronte manus,fit clamor,at illum
Hærentem Peleus,& acerbo vulnere victum
(Stabat enim propior)mediã ferit ense sub aluũ.

390 Prosiliit, terraq; ferox sua viscera traxit.
Tractaq; calcauit, calcataq; rupit, & illis
Crura quoq; impediit, & inani concidit aluo.
Nec te pugnantem tua Cyllare forma redemit,
Si modo naturæ formam concedimus illi.
395 Barba erat incipiens, barbæ color aureus, aureaq;
Ex humeris medios coma dependebat in armos.
Gratus in ore vigor, ceruix, humeriq;, manusq;,
Pectoraq; artificium laudatis proxima signis,
Ex qua parte vir est, neq; equi mendosa sub illo
400 Deteriorq; viro facies, da colla, caputq;
Castore dignus erit, sic tergum sessile, sic sunt
Pectora celsa toris, totus pice nigrior atra,
Candida cauda tñ, color est quoq; cruribus albus.
Multæ illum petiere sua de gente, sed vna
405 Abstulit Hylonome, qua nulla decentior inter
Semiferas altis habitauit fœmina syluis.
Hæc & blanditiis, & amando, & amare fatendo
Cyllaron vna tenet, cultus quoq; quantus in illis
Esse potest membris, vt sit coma pectine lenis.
410 Vt modo rore maris modo se violave, rosave
Implicet, interdum canentia lilia gestet.
Bisq; die lapsis pagaseæ vertice syluæ
Fontibus ora lauet, bis flumine corpora tingat.
Nec nisi quæ deceant, electarumq; ferarum
415 Aut humero, aut lateri prætendat vellera leuo.
Par amor est illis, errant in montibus vna.
Antra simul subeunt, & tum lapitheia tecta
Intrarant pariter, pariter fera bella gerebant.
Autor in incerto est, iaculum de parte sinistra
420 Venit, & inferius qua collo pectora subsunt

Cyllare te fixit,paruo cor vulnere læsum
Corpore cum toto post tela educta refrixit.
Protinus Hylonome morientes excipit artus.
Impositaq; manu vulnus fouet,oraq; ad ora
Admouet,atq; animæ fugienti obsistere tentat. 425
Vt videt extinctum,dictis,quæ clamor ad aures
Arcuit ire meas,telo quod inhæserat illi
Incubuit,moriensq; suũ complexa maritum est.
Ante oculos stat & ille meos,qui sæua leonum
Vinxerat inter se connexis vellera nodis 430
Pheocomes,hominẽq; simul protectus,equũq;.
Codice qui misso,quẽ vix iuga bima mouerent
Iuncta,Phonoleniden a summo vertice fregit.
Fracta volubilitas capitis latissima,perq; os
Perq; cauas nares,oculos,aresq;,cerebrum 435
Molle fluit,veluti concretum vimine querno
Lac solet,vtue liquor rari sub pondere cribri
Manat,& exprimitur per densa foramina spissus
Ast ego,dum parat hic armis nudare iacentem,
(Scit tuus hoc genitor)gladium spoliantis in ima 440
Ilia demisi,Chthonius quoq;,Teleboasq;
Ense iacent nostro,ramum prior ille bifurcum
Gesserat,hic iaculum,iaculo mihi vulnera fecit,
(Signa vides)apparet adhuc vetus inde cicatrix.
Tunc ego debueram capienda ad pergama mitti, 445
Tunc poteram magni si non superare,morari
Hectoris arma meis,illo sed tempore nullus,
Aut puer Hector erat,nũc me mea deficit ætas,
Quid tibi victorem gemini Periphanta Pyreti.
Ampyca qd referam? qui quadrupedãtis Oecli 450
Fixit in aduerso cornum sine cuspide vultu.

Vecte Pelethronius Macareus, in pectus adacto
Strauit Eridupum (memini) & venabula condi
Inguine Nessæi manibus coniecta Cymeli.
455 Nec tu credideris tantum cecinisse futura
Ampyciden Mopsum, Mopso iaculante biformis
Occubuit, frustraq; loqui tentauit Odites.
Ad mentum lingua, mentoq; ad guttura fixo.
Quinq; neci Cæneus dederat, Stiphelũq;, Bromũq;,
460 Antimachũq;, Helimũq;, securiferũq; Pyracmen.
Vulnera non memini, numerũ, nomenq; notaui.
Prouolat emathij spoliis armatus Alesi,
Quem dederat leto membris & corpore Latreus
Maximus, huic ætas inter iuuenemq;, senemq;,
465 Vis iuuenilis erat, variabant tempora cani.
Qui clypeo, gladioq;, macedoniaq; Sarissa
Conspicuus, faciemq; obuersus in agmen vtrunq;
Armaq; concussit, certumq; equitauit in orbem.
Verbaq; tot fudit vacuas animosus in auras.
470 Et te Cæni feram, nam tu mihi fœmina semper,
Tu mihi Cænis eris, nec te natalis origo
Commonuit, mentemq; subit quo præmia facto
Quaq; viri falsam speciem mercede pararis.
Quid vel nata vide, vel quid sis passa columq;
475 I cape cum calathis, & stamina pollice torque.
Bella relinque viris, iactanti talia Cæneus
Extentum cursu missa latus eruit hasta,
Qua vir equo commissus erat, furit ille dolore.
Nudaq; Phylei iuuenis ferit ora Sarissa.
480 Non secus hæc resilit q̃ tecti a culmine grando,
Aut si quis paruo feriat caua tympana saxo.
Comminus aggreditur, lateriq; recondere duro

Luctatur gladium, gladio loca peruia non sunt.
Haud tamen effugies, medio iugulaberis ense.
Quãdoquidẽ mucro est hebes, inqt, & in latus ensem 485
Obliquat, longaqꝫ amplectitur ilia dextra.
Plaga facit gemitus vt corpore marmoris icti,
Fractaqꝫ dissiliit percusso lamina collo.
Vt satis illæsos miranti præbuit artus
Nunc age ait Cæneus nostro tua corpora ferro 490
Tentemus, capuloqꝫ tenus demisit in armos
Ensem fatiferum, cæcamqꝫ in viscera mouit.
Versauitqꝫ manum, vulnusqꝫ in vulnere fecit.
Ecce ruunt vasto trepidi clamore bimembres.
Telaqꝫ in hunc omnes vnũ mittuntqꝫ, feruntqꝫ. 495
Tela retusa cadunt, manet imperfossus ab omni
Inqꝫ cruentatus Cæneus Elateius ictu.
Fecerat attonitos noua res, heu dedecus ingens
Monychus exclamat, populus superamur ab vno
Vixqꝫ viro, quanq̃ ille vir est, nos segnibus actis 500
Quod fuit ille, sumus, qd mẽbra ĩmania prosunt?
Quid geminæ vires? & quid fortissima rerum
In nobis duplex natura animalia iunxit?
Nec nos matre dea, nec nos Ixione natos
Esse reor, qui tantus erat Iunonis vt altæ 505
Spem caperet, nos semimari superamur ab hoste.
Saxa, trabesqꝫ super, totosqꝫ inuoluite montes,
Viuacemqꝫ animam missis elidite syluis.
Sylua premat fauces, & erit pro vulnere pondus.
Dixit, & insani deiectam viribus austri 510
Forte trabem nactus validum coniecit in hostem,
Exemplumqꝫ fuit, paruoqꝫ in tempore nudus
Arboris Othrys erat, nec habebat Pelion vmbras.

Obrutus immani cumulo ſub pondere Cæneus,
515 Aeſtuat arboreo, coniectaq; robora duris
Fert humeris, ſed enim poſtq̃ ſuper ora, caputq;
Creuit onus, nec habet quas ducat ſpiritus auras.
Deficit interdum, modo ſe ſuper aera fruſtra
Tollere conatur, iactasq; euoluere ſyluas.
520 Interdumq; mouet, veluti quã cernimus, ecce,
Ardua ſi terræ quatiatur motibus Idæ.
Exitus in dubio eſt, alij ſub inania corpus
Tartara detruſum ſyluarum mole ferebant.
Abnuit Ampycides, medioq; ex aggere fluuiis
525 Vidit auem pennis liquidas exire ſub auras,
Quæ mihi tunc primũ, tunc eſt conſpecta volucris
Hanc vbi luſtrantem leni ſua caſtra volatu
Mopſus, & ingenti circum clamore ſonantem
Aſpexit, pariterq; animo eſt, oculisq; ſecutus.
530 O ſalue dixit lapithææ gloria gentis
Maxime vir quondã, ſed auis nũc vnica, Cæneu.
Credita res autore ſuo eſt, dolor addidit iram.
Oppreſſumq; ægre tulimus tot ab hoſtibus vnum.
Nec prius abſtitimus ferro exercere dolorem,
535 Quam data pars leto, partẽ fuga, noxq; remouit.
Hæc inter Lapithas & ſemihomines Centauros
Prælia Tlepolemus Pylio referente, dolorem
Præteriti Alcidæ tacito non pertulit ore.
Atq; ait, Herculeæ mirum eſt obliuia laudis
540 Acta tibi ſenior, certe mihi ſæpe referre
Nubigenas domitos a ſe pater ipſe ſolebat.
Triſtis ad hæc Pylius, quid me meminiſſe malorũ
Cogis? & obductos annis reſtringere luctus?
Inq; tuum genitorem odium, offenſasq; fateri?

Ille quidẽ maiora fide quoq; geſſit, & orbem 545
Impleuit meritis, quod mallem poſſe negare.
Sed neq; Deiphobũ, nec Polydamãta, nec ipſum
Hectora laudamus, quis enim laudauerit hoſtem?
Ille tuus genitor Meſſenia mœnia quondam
Strauit, & immeritas vrbes Elinq;, Pylumq; 550
Diruit, inq; meos ferrum, flammasq; penates
Impulit, vtq; alios taceam, quos ille peremit,
Bis ſex Neleidæ fuimus conſpecta iuuentus,
Bis ſex Herculeis ceciderunt, me minus vno.
Viribus, atq; alios vinci potuiſſe ferendum eſt. 555
Mira Periclymeni mors eſt, cui poſſe figuras
Sumere quas vellet, rurſusq; reponere ſumptas
Neptunus dederat, Nelei ſanguinis autor.
Hic vbi nequicquã eſt formas variatus in omnes,
Vertitur in faciem volucris, quæ fulmina curuis 560
Ferre ſolet pedibus diuum gratiſſima regi.
Viribus vſus auis pennis, roſtroq; reduco
Hammatisq; viri laniauerat vnguibus ora.
Tendit in hunc nimiũ certos Tirynthius arcus,
Atq; inter nubes ſublimia membra ferentem 565
Pendentemq; ferit lateri qua iungitur ala.
Nec graue vulnus erat, ſed rupti vulnere nerui
Deficiunt, motumq; negant, vires q; volandi.
Decidit in terram non concipientibus auras
Infirmis pennis, & quæ leuis hæſerat alæ 570
Corporis affixi preſſa eſt grauitate ſagitta.
Perq; latus ſummũ iugulo eſt exacta ſiniſtro.
Num videor debere tuis præconia rebus
Herculis o Rhodiæ ductor pulcherrime claſſis?
Ne tamen vlterius q̃ fortia facta ſilendo 575

Vlciſcar fratres, ſolida eſt mihi gratia tecum.
Hæc poſtq̃ dulci Neleius edidit ore,
A ſermone ſenis repetito munere Bacchi
Surrexere toris, nox eſt data cætera ſomno.
580 At deus æquoreas qui cuſpide temperat vndas,
In volucrem corpus nati Cygneida verſum
Mente dolet patria, ſæuumq; peroſus Achillem
Exercet memores plus q̃ ciuiliter, iras.
Iamq; fere tracto duo per quinquennia bello
585 Talibus intonſum compellat Smynthea dictis.
O mihi de fratris longe chariſſime natis,
Irrita qui mecum poſuiſti mœnia Troiæ
Ecquid, vbi Aſiacas caſuras aſpicis arces
Ingemis? aut ecquid tot defendentia muros
590 Millia cæſa doles? ecquid (ne perſequar omnes,)
Hectoris vmbra ſubit circũ ſua pergama tracti?
Cum tamen ille ferox, belloq; cruentior ipſo
Viuit adhuc operis noſtri populator Achilles.
Det mihi ſe (faxo) triplici quid cuſpide poſſim
595 Sentiat, & quoniam concurrere cõminus hoſti
Non datur, occulta nec opinum perde ſagitta.
Annuit, atq; animo pariter patruiq;, ſuoq;.
Delius indulgens nebula velatus, in agmen
Peruenit iliacum mediaq; in cæde virorum
600 Rara per ignotos ſpargentem cernit achiuos
Tela Parim, faſſusq; deum, quid ſpicula perdis
Sanguine plebis ait? ſi qua eſt tibi cura tuorum
Vertere in Aeaciden, cæſosq; vlciſcere fratres.
Dixit, & oſtendens ſternentem troica ferro
605 Corpora Peliden, arcus obuertit in illum,
Certaq; letifera direxit ſpicula dextra.

Quo Priamus gaudere ſenex poſt Hectora poſſet
Hoc fuit, ille igitur tantorum victor Achille
Victus es a timido graiæ raptore maritæ.
At ſi fœmineo fuerat tibi marte cadendum, 610
Thermodontiaca malles cecidiſſe bipenni.
Iam timor ille Phrygum, decus, & tutela pelaſgi
Nominis Aeacides caput inſuperabile bello
Arſerat, armarat deus idem, idemq; cremarat.
Iam cinis eſt, & de tam magno reſtat Achille 615
Neſcio quid, paruã quod non bene cõpleat vrnã.
At viuit, totum quæ gloria compleat orbem.
Hæc illi menſura viro reſpondet, & hæc eſt
Par tibi pelide, nec inania tartara ſentit,
Ipſe etiam, vt cuius fuerit cognoſcere poſſes, 620
Bella mouet Clypeus, deq; armis arma feruntur.
Non ea Tydides, non audet Oileus Aiax,
Non minor Atrides, non bello maior, & æuo,
Poſcere non alij, ſoli Telamone creato
Laertæq; fuit, tantæ fiducia laudis. 625
A ſe Tantalides onus, inuidiamq; remouit.
Argolicosq; duces mediis conſidere caſtris
Iuſſit, & arbitrium litis traiecit in omnes.

P. OVI. NASO. METAMORPHOSEON LIB. XIII.

CONS Edere duces, & vulgi ſtante corona
Surgit ad hos clypei dominus ſeptemplicis Aiax.
Vtq; erat impatiẽs iræ, ſygæia toruo
Littora proſpexit, claſſemq; in littore vultu.
Intendensq; manus, agimus pro Iuppiter inquit 5